.vi.

Carbasa deducit, ne qua levis effluat aura,
frena dabat: tamen haec non evitabile telum
consequitur; summaque tremens cervice sagitta
haesit, et exstabat nudum de gutture ferrum.
Ille, ut erat pronus, per crura admissa iubasque
volvitur, et calido tellurem sanguine foedat.
Phaedimus infelix et aviti nominis heres
Tantalus, ut solito finem imposuere labori,
transierant ad opus nitidae iuvenale palaestrae.
Et iam contulerant arto luctantia nexu
pectora pectoribus, contento concita nervo,
sicut erant iuncti, traiecit utrumque sagitta.
Ingemuere simul, simul incurvata dolore
membra simul posuere solo, simul suprema iacentes
lumina versarunt, animam simul exhalarunt.
Aspicit Alphenor laniataque pectora plangens
evolat, ut gelidos complexibus adlevet artus,
inque pio cadit officio; nam Delius illi
intima fatifero rupit praecordia ferro.
Quod simul eductum est, pars est pulmonis in hamis
eruta, cumque anima cruor est effusus in auras.
At non intonsum simplex Damasichthona vulnus
afficit. Ictus erat qua crus esse incipit, et qua
mollia nervosus facit internodia poples.
Dumque manu temptat trahere exitiabile telum,
altera per iugulum pennis tenus acta sagitta est.
Expulit hanc sanguis, qui se eiaculatus in altum
emicat et longe terebrata prosilit aura.
Ultimus Ilioneus non profectura precando
bracchia sustulerat "di" que "o communiter omnes"
dixerat, ignarus non omnes esse rogandos,
"parcite!" Motus erat, cum iam revocabile telum
non fuit, Arcitenens. Minimo tamen occidit ille
vulnere, non alte percusso corde sagitta.
Fama mali populique dolor lacrimaeque suorum
tam subitae matrem certam fecere ruinae,
mirantem potuisse, irascentemque quod ausi
hoc essent superi, quod tantum iuris haberent.
Nam pater Amphion ferro per pectus adacto
finierat moriens pariter cum luce dolorem.
Heu quantum haec Niobe Niobe distabat ab illa
quae modo Latois populum summoverat aris
et mediam tulerat gressus resupina per urbem,
invidiosa suis, at nunc miseranda vel hosti.
Corporibus gelidis incumbit et ordine nullo
oscula dispensat natos suprema per omnes.

License: CC-BY-NC – Lausanne, Bibliothèque cantonale et universitaire - Lausanne, Ms 403, f. 34v – P. Ovidii Nasonis, Metamorphoses (http://www.e-codices.ch/fr/bcul/Ms0403/34v)